cretum promisisses. 1. Quia debitum secreti, non secùs, ac alia debita, cessat, quandò sine dispendio salutis, vitæ, famæ, aut gravis fortunæ servari non potest. 2. Quia nemo sensatus promittendo etiàm sub juramento servare secretum, censetur ad tales casus suam obligationem extendere voluisse; sed potiùs præsumitur quòd ex ordine charitatis propriam incolumitatem alienæ anteponere velit.

Excipe tamèn, saltèm secundùm plures, nisi in ultimo casu promisisses servare secretum etiàm cum dispendio vitæ, vel famæ; cùm enim objectum talis promissionis sit honestum (licèt enim ex motivo virtutis vitam pro proximo exponere, aut delinquere) non videtur, cur servari non debeat. Excipe etiàm, nisi ex revelatione secreti periclitetur bonum commune: undè secreta Reipublicæ, aut Exercitûs Gallus non potest ob quævis tormenta revelare Austriacis, nec Austriacus Gallis; quia salus Reipublicæ est anteponenda propriæ vitæ.

Ex dictis inferes (*Q. 70. a. 1. ad 2. & quodl. a. 15. o.*) Superiori præcipienti revelationem secreti subditum teneri obedire, si agatur de peccato committendo, quod alitèr impediri non potest; non teneri autèm, si agatur de peccato commisso, ex quo nullum amplius cuiquam imminet detrimentum, aut de aliquo faciendo nemini nocivo. Confer dicta de Teste.

Quid de apertione litterarum & expiscatione secreti? R. Qui litteras, aut scripturas alienas secretas legit absque consensu mittentis, aut recipientis, absquè legitima auctoritate, seu causa justa, vel alitèr per vim, seu fraudem alterius secretum expiscatur, peccat contrà Justitiam; tùm qui unusquisque habet jus ad suum secretum, ergo facit illi injuriam, qui per vim, aut fraudem illud extorquet; tùm quia, qui legit Scripturas alienas secretas, utitur re aliena, invito rationabilitèr domino: ergo. Ità Navarr. in Man. c. 18. n. 53.

Hoc autèm peccatum erit mortale, vel veniale pro qualitate vel damni, vel periculi, vel intentionis gravitèr, aut levitèr damnificandi. Undè peccat tantùm venialitèr qui aperit litteras, quas certò moralitèr scit non continere nisi salutationes, nuncia publica, aut similia levis momenti, paratus tamèn ad secretum, si casu aliquid occurreret sub secreto servandum. E contrà peccat mortalitèr, si sciat, aut dubitet ea continere, quæ alicujus famam gravitèr labefactant, aut ea, quæ secreta manere multùm interest illius, qui mittit, aut recipit.

Dixi 1. 1. *Litteras, aut Scripturas secretas*, quales sunt litteræ clausæ, aut etiàm apertæ, sed in loco secreto v. gr. supèr mensam cubiculi repositæ, aut etiàm casu amissæ; secùs, si sint projectæ & pro derelictis habitæ. Dixi 2. *Absque consensu mittentis, aut recipientis*; quia, qui proptèr amicitiam & familiaritatem præsumit mittentem, aut recipientem consentire in apertionem suarum litterarum, non peccat saltèm mortalitèr, eas aperiendo. Dixi 3. *Vel absque legitima auctoritate*; quia Prælatis Religionum conceditur, imò in Ordine nostro præcipitur, ut litteras, quas sui subditi mittunt, aut recipiunt, legant, modò non sint litteræ subditi ad Prælatum majorem, aut Prælati majoris ad subditum. Eadem facultas jure gubernationis conceditur marito respectu litterarum uxoris, aut ad uxorem, & Patri respectu Filiorum. Ità Cajet. in Summ. V. *Litteras* & Pontas V. *Secret.* cas. 9. Dixi 4. Vel *justa causa*, nimirùm ad avertendum grave damnum sibi, vel alteri innocenti. Hinc non peccant gubernatores, Præfecti exercitûs, & similes, qui tempore belli aperiunt litteras, sive hostium, sive civium: neque privatus, qui, fundatè timens per Epistolam grave damnum sibi, vel alteri parari, eam aperit; hi enim utuntur jure defensionis adversùs injustos invasores. Ità Auctores cit. & S. Antonin. apud Navarr. cit.

Petes, utrùm, qui per vim, vel fraudem secretum assecutus est, possit ad evitandam mortem illud revelare, si ex revelatione alteri, cujus est secretum, æquale periculum imminear? R. Probabiliùs negativè cum Soto, Navarro, & aliis contrà Lessium, oppositum probabilitèr propugnantem. Ratio est; quia, qui injuriam alteri intulit, eam continuare non potest, sed e contrà tenetur illam tollere, alioquin, sicùt peccavit initio injuriam inferendo, ità etiàm peccabit eam continuando: ergo, qui secretum alterius per injuriam assecutus est, tenetur sempèr supprimere; aliàs quocumque casu revelabit, injuriam renovabit & augebit: sicùt, qui rem alienam furatus est, non potest ea uti cum detrimento domini, aliàs injuriam continuat, & gravius peccat.

Dices cum Lessio: qui rem alienam injustè apud se habet, potest eam consumere in extrema necessitate, etiamsi dominus paritèr illa indigeat: ergo similitèr in nostro casu. R. N. Conseq. disparitas est, quòd in extrema necessitate omnia fiant communia, undè, qui detinet, quamvis ab initio injustè acceperit, acquirit tùnc jus in illam, & ea potest uti ut sua. At in nostro casu non videtur, quo titulo, qui secretum alterius per injuriam adeptus est, possit illud prodere cum æquali damno illius, cui primò injuriam intulit.

Dices insuper cum eodem. In casu posito possum aperire secretum, quamvis stipulatus sim alteri silentium: ergo etiam possum, quamvis injuriam extorserim; nàm, qui ex contractu aliquid debet, non minùs tenetur, quàm qui ex delicto. R. N. Conseq. Quia intentio stipulantis silentium non se extendit ad hunc casum, ut dictum est suprà; quod dici non potest de eo, qui per injuriam secretum alterius expiscatus est.

# TRACTATUS
# DE CONTRACTIBUS.

EGIMUS suprà de injustitia, quæ committitur in rebus exterioribus per commutationes involuntarias, nempè per furtum, rapinam &c. Nunc agimus de injustitia, quæ committitur per commutationes voluntarias, quæ alio nomine dicuntur Contractus. Et 1. de Contractibus in genere, deinde de variis Contractuum speciebus. Undè sit

## DISSERTATIO I.
## DE CONTRACTIBUS IN GENERE.
### *Div. Thom. a Quæst. 77. & 78.*

### ARTICULUS I.

*Quid & quotuplex sit Contractus?*

DICO 1. Contractus, generalitèr sumptus proùt comprehendit Contractum latè & strictè sumptum, definitur: *Duorum, pluriumve in idem placitum & consensus, signo sensibili manifestus, pariens obligationem, saltèm in uno contrahentium.*

Dixi 1. *Placitum & consensus* quia sine consensu nullus est Contractus, ut modò fusiùs dicam. Dixi 2. *Duorum, vel plurium in idem*; quia non est obligatio justitiæ nisi saltèm intèr duos; & unus non potest alteri conferre efficacitèr jus in rem, seu actionem suam, nisi alter in id consentiat & acceptet. Dixi 3. *Signo sensibili manifestus*; quia homines non communicant intèr se, nisi per signa sensibilia. Dixi 4. *Pariens obligationem*, quandoquè naturalem tantùm, quandoque naturalem & civilem. Omnem autèm Contractum validum parere obligationem, saltèm naturalem & in foro conscientiæ, constat: 1. Quia unusquisque Jure naturæ tenetur præstare, quod promisit, altero acceptante, sive promiserit titulo gratuito, sive oneroso. Hoc ipso enim quo quis acceptat promissionem sibi factam, acquirit jus in rem, seu actionem promittentis ex





ejus libera voluntate. 2. Quia Contractus est privata lex, quam quìs sibi voluntariè imponit, confirmata Jure civili & naturali, quam proindè servare tenetur. Dixi 5. *Saltèm in uno contrahentium*; & hinc est differentia intèr Contractum latè, & strictè sumptum. Si enim in uno tantùm pariat obligationem, est Contractus latè dictus, qualis est v. gr. promissio simplex, & donatio: Promittens enim obligatur ad servandam fidem, donans ad non revocandum donationem; ad nihil autèm promissarius, aut donatarius obligatur. Si utroque pariat obligationem, est Contractus strictè dictus.

Definitur in Jure: *Ultro citroque obligatio* L. *Labeo* ff. *de verb. signif.* Hanc autèm definitionem Auctores communitèr intelligunt in sensu causali, non formali: quia Contractus non est formalitèr ipsa obligatio, sed illam causat. Quidam tamèn hanc definitionem intelligunt in sensu formali; quia, inquiunt, contrahere formalitèr est obligari, ergo Contractus formalitèr est obligatio: & hoc etiàm verum est sumendo obligationem activè, & non passivè.

Dico 2. Variæ sunt Contractûs divisiones. 1. Dividitur in innominatum & nominatum. Contractus innominatus est, qui non habet speciale nomen, & est quadruplex, scilicèt, *do, ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias*; v. gr. do tibi frumentum, ut des mihi oleum, est Contractus *do, ut des*: do tibi frumentum, ut labores in agro meo, est *do, ut facias*: & sic de cæteris. Ubi adverte, quod id, quod datur, aut redditur, non debet esse pecunia, alias foret Contractus nominatus, puta, vel venditio, vel locatio, aut alter similis. Si dicas, tales Contractus rectè vocari posse permutationem, respondeo id quidem verum esse; sed permutatio est nomen genericum, non minùs quàm Contractus.

Contractus nominatus subdividitur in illum, qui est in utilitatem utriusque contrahentis, & in illum, qui est in utilitatem unius tantùm. Primi generis sunt novem, scilicèt *Emptio*, cui relativè opponitur *Venditio*; *Locatio*, cui relativè opponitur *Conductio*; *Census*, *Cambium*, *Emphiteusis*, *Feudum*, *Assecuratio*. Contractus secundi generis subdividitur iterùm in eum, qui est in utilitatem solius accipientis; & est quintuplex, scilicèt: *Mutuum*, *Commodatum*, sub quo continetur *Precarium*, *Pignus*, *Hypotheca*, *Fideijussio*; in eum, qui est in utilitatem solius dantis, & est *Depositum*; & in eum, qui est in utilitatem alterutrius indeterminatè, & est *Sponsio*, & *Ludus*.

2. Dividitur Contractus in gratuitum, qui etiàm dicitur lucrativus, & onerosum. Gratuitus est in quo nihil reponditur loco ejus, quod datur ut simplex promissio, & donatio. Onerosus est, in quo aliquid reponditur loco ejus, quod datur, ut sunt omnes alli Contractus jam recensiti.

3. Dividitur in explicitum & implicitum. Explicitus est, cùm quis sive verbis, sive pactione, expressè & explicitè contrahit hanc, vel illam obligationem: ut si dicas: hoc promitto, vel do, ut hoc facias; vendo hanc mercem pro tali pretio, &c. Implicitus est, dùm quis nihil exprimit de obligatione, aliquid tamèn agit, ex quo sequitur obligatio, ut dùm quis suscipit officium Præpositi, Tutoris, Pastoris, virtualitèr & implicitè se obligat Civibus, Pupillo, Parochianis, præstandi ea, quæ sunt talis oficii.

4. Dividitur in contractum stricti juris, & bonæ fidei. Contractum stricti juris quidam intelligunt, proùt opponitur æquitati, & Epikiæ, ità quòd insistatur rigorosè verbis, quamvis ex circumstantiis colligatur, aliam fuisse mentem contrahentium; sed, ut benè advertit Layman, nullus contractus hoc sensu debet esse stricti juris, cùm enim verba substituantur ut signa mentis, contrà rationem est verba potiùs, quàm intentionem contrahentium attendere. Itaquè contractus bonæ fidei est, qui latiorem interpretationem secundùm æquum, & bonum recipit: stricti juris, qui est strictioris interpretationis, & difficiliùs recedit a tenore verborum. Notat Daëlman, in Belgio omnes jam penè contractus esse bonæ fidei.

5. Alius est, qui solo consensu, alius, qui verbis, alius, qui scriptura, & alius, qui re seu traditione perficitur. Quamvis omnis contractus requirat consensum; & verba seu signa externa consensûs manifestativa, sunt tamèn quidam, qui sine verbis determinatis, sine scriptura, sine traditione, sed solo consensu per quæcumque signa manifestata perficiuntur, ut emptio, venditio, locatio, societas, sponsalia, &c. Statim enim ac venditor, & emptor de merce, & pretio convenerunt, etiàm absquè traditione mercis, & solutione pretii, perfectus est contractus & vestitus, paritque obligationem in utroque foro, ut dicam modo. Contractus, qui verbis perficitur, est stipulatio, ad quam olim requirebantur determinata verba; ut si unus dicat: *Promittis?* alter respondeat: *Promitto; dabis? dabo*, &c. Contractus scriptura perficitur, vel contrahentium voluntate, ut dùm nolunt contractum esse firmum nisi instrumentum illius sit scripturis exaratum, & subscriptum; vel dispositione Juris ad substantiam contractûs scripturam requirentis: quamvis sæpe etiàm Jus requirat scripturam, non ad substantiam contractûs, sed ad ejus probationem tantùm. Tandèm re, seu traditione perficiuntur hi contractus, qui ipso nomine dationem, vel factione significant, ut mutatio, commodatio, depositio, seu depositum, & omnis contractus innominatus. Dùm ergo quis promittit mutuare v. gr. sed nondùm mutuat, non est perfectus contractus, nec parit obligationem civilem, sed naturalem tantùm.

6. Tandèm celebris divisio apud Jurisconsultos est in contractum nudum & vestitum. Contractus nudus est is, cujus obligatio naturalis non est Jure civili confirmata, ità quod non conferat actionem in foro externo. Tales sunt omnes contractus innominati antè adimpletionem saltèm ex una parte: item promissiones contractuum per traditionem perficiendorum, v. gr. promittis te daturum mutuò Joanni mille florennos, est contractus nudus pariens quidem obligationem naturalem, at non civilem; quia Jus civile, licèt non tollat, nec impediat obligationem naturalem, eam tamèn non confirmat, nec ex illa actionem concedit in foro externo ad vitandam lisium multiplicitatem. Contractus vestitus e contra est is, qui obligationem naturalem, & civilem inducit, seu cujus obligatio naturalis confirmatur Jure civili, & ideò concedit actionem in foro externo. Sex modis vestiuntur contractus. 1. Contractus nominati, qui solo consensu perficiuntur, de quibus suprà, hoc ipso quo sunt substantialitèr perfecti, censentur vestiti. 2. Stipulationes sub certa verborum forma sunt vestitæ; nùnc verò stipulationes, seu pacta vestiri solent scriptura privata, vel publica. 3. Contractus re perficiendus vestitur per traditionem. 4. Contractus de se non vestitus vestitur per adjectionem ad alium contractum vestitum, v. gr. vendis mihi domum cum pacto, ut illam habites per annum. 5. Contractus vestitur legis privilegio, sic promissio solvendi debitum alienum acceptata privilegio legis est vestita. 6. Tandèm secundùm probabiliorem sententiam contractus juramento firmatus est vestitus. Plura de his ad Juristas.

### ARTICULUS II.

*De Consensu ad Contractum requisito.*

OMnes conveniunt aliquem consensum requiri ad validitatem contractûs; consensus enim est constitutivum & forma contractus, cùm definiatur contractus plurium in idem consensus; sed difficultas est, qualis consensus requiratur. Quidam recentiores Lovanienses post Turrianum existimant, sufficere consensum in verba seriò prolata absque ullo animo contrahendi, ità ut qui seriò profert verba contractûs, quamvis intùs non consentiat in contractum & obligationem, imò dicat intrà se: nolo contrahere, nolo me obligare; verè & validè contrahat, ac se obliget. Sed negant alii communitèr contenduntque ad validitatem contractûs non sufficere consensum in verba seriò prolata, sed requiri consensum in ipsum contractum & obligationem. Fatentur tamèn, cum, qui sic verbotenùs contraheret absquè animo contrahendi, teneri stare contractui, in quantum interest alterius contrahentis, non quidèm vi contractûs, quasi esset validus, sed ex lege generali Justitiæ, qua tenetur deceptionem tollere, & quem per fictionem læsit indemnem servare: Cum quibus

Dico: Non sufficit ad validitatem contractûs consensus in sola verba, sed requiritur consensus in ipsum contractum, ità quòd contractus verbotenùs sine animo contrahendi, & se obligandi sit contractus fictus, & nullus in foro conscientiæ. Dico: in foro conscientiæ; quia in foro civili, ubi de interioribus judicatur per exteriora, reputatur validus ex præsumptione, quòd contrahens intùs senserit, quòd exteriùs expressit. Prob. Per contractum transfertur jus in rem: seu actionem unius contrahentis in alterum, ex quo paritur obligatio, dùm alter acceptat; atqui ad hoc non sufficiunt verba, etiamsi seriò prolata; sed requiritur quòd contrahentes consentiant in ipsam juris translationem & acceptationem: ergo. Prob. Minor. Verbis, etiamsi seriò prolatis, non est vis translativa, sive obligatoria; id enim non habent neque ex sua natura, seu institutione: cùm juxtà omnes Philosophos



*Theol. Billuart.* Secunda Secundæ.

sunt instituta dumtaxàt ad significandum, & non ad obligandum: neque id habent ex constitutione Reipublicæ, nullibi enim extat talis constitutio. Undè, cùm dico, *Promitto*, hæc vox non facit obligationem, sed eam significat tantum, in quantum significat animum promittentem, qui est causa obligationis: ergo.

Respondent adversarii, quòd hoc ipso quo contrahens consentit formalitèr, & explicitè in verba, consentiat implicitè, & virtualitèr in ipsam obligationem, quantumvis formalitèr dicat interiùs nolo contrahere, nolo me obligare; hæc enim nolitio, inquiunt, est inefficax: sicùt, qui verba detractoria profert, quamvis dicat: nolo detrahere, censetur tamèn interpretativè, & implicitè velle detractionem. Sed contrà. Qui vult unum formalitèr, non censetur velle interpretativè aliud, nisi istud aliud sequatur ex primo formalitèr volitio; atqui obligatio non sequitur ex verbis: verba enim, ut dictum est, non sunt instituta ad obligandum, sed ad significandum mentis consensum, ex quo sequitur obligatio, qui consensus significatus si desit, erit fraus & mendacium. Et hinc est disparitas ab exemplo detrahentis, quòd verba detractoria ex ipsa sua significatione diffament proximum; undè, qui illa profert, velit nolit, censetur velle interpretativè diffamationem.

Conf. 1. Si ex significatione verborum præcisè oriretur obligatio, sequeretur 1. quòd verba quovis modo etiàm jocosè prolata obligarent, sicut verba detractoria etiàm jocosè prolata detrahunt; atqui falsum consequens ex ipsis adversariis: ergo. Sequeretur 2. quòd prolata in omni contractu obligarent; quòd tamèn negant adversarii de matrimonio & sponsalibus. Neque valet, quod respondent, specialem esse rationem matrimonii & sponsalium, qui cùm sint contractus mutui amoris, inquiunt, ad eos non sufficit contractus interpretativus, sed requiritur formalis, & explicitus; id enim gratis fingitur. Equidèm matrimonium, & sponsalia sunt contractus mutui amoris, non sensu quòd ad ista contrahenda amor soleat impellere, & contracta fovere; non autèm hoc sensu, quòd validè non possint contrahi ex alio motivo, quàm amoris. Quot sunt enim matrimonia valida contracta magis ex cupiditate divitiarum, aut honorum, quàm ex amore personæ: &, quod clarius est, qui justo metu cogitur contrahere cum puella sibi exosa & infensa, validè contrahit, & tamèn ex amore non contrahit: ergo gratis fingitur non sufficere ad matrimonium, & sponsalia consensum, qui sufficit ad alios contractus ex hoc, quòd sint contractus mutui amoris.

Conf. 2. Contractus ex errore circà substantiam rei est absolutè nullus, nec ullam inducit obligationem, quamvis verba, & omnia signa exteriora contractûs serio ponantur; atqui id aliundè non provenit quàm ex defectu consensûs interni: ergo, ubi deficit, verba nihil efficiunt. Itèm votum exterius emissum sine animo vovendi est nullum secundùm omnes: ergo & contractus sine animo contrahendi. Nec valet, si dicas votum fieri Deo, qui novit interiora cordis. Quid tùm? Stabit nihilominùs votum, si reverà sit vis obligatoria indita verbis.

Arguunt insupèr adversarii ab inconvenientibus. Ex nostra Sententia, inquiunt, sequitur 1. quòd dominia, quæ acquiruntur per contractus, sint incerta; incertum est enim, àn venditor interiùs consenserit. Sequitur 2. quòd si venditor non consenserit, possit repetere rem suam, dicendo se non consensisse, aut saltèm eam occultè recuperare. Sequitur 3. Regem, qui cum alio Rege pacem exteriùs inivit, interiùs autèm pacem non intendit, non esse fœdifragum, si resumptis viribus sine nova causa bellum rursùs adversùs alterum Regem instauret; atqui hæc & similia sunt inconvenientia: ergo.

R. 1. Retorquendo argumentum. Si ad matrimonium, sponsalia, & votum non sufficiat consensus in verba, sed requiratur consensus formalis in ipsum contractum, aut votum, sequitur 1. matrimonia, sponsalia, & vota esse incerta; incertum est enim, àn compars, aut vovens consenserit. Sequitur 2. quòd pars, quæ fictè contraxit, possit derelinquere conjugem; & qui fictè vovit, possit deserere Religionem & nubere; atqui tamèn, non obstantibus his inconvenientibus, fatentur adversarii ad matrimonium, sponsalia, & votum non sufficere verba, sed requiri consensum formalem in ipsum contractum & votum: ergo similitèr in aliis contractibus, non obstantibus objectis inconvenientibus. R. 2. directè, non obstante veritate Sententiæ nostræ, dominia rerum esse certa certitudine saltèm morali; quia, qui serio protulit verba contractûs, præsumitur voluisse contrahere, nec ipsi dicenti se noluisse contrahere tenetur alter credere: sicùt marito dicenti se noluisse nubere, non tenetur credere uxor, nec Religio dicenti se noluisse vovere. Imò possunt etiàm dici certa, certitudine quodammodò absoluta; quia, qui fictè contraxit, & alterum decepit, tenetur, ut dictum est, ex lege generali justitiæ tollere fictionem, & consequentèr ponere verum consensum, ut alterum contrahentem indemnem servet: sicùt, qui fictè inivit matrimonium, debet ponere consensum, qui defuit. Hinc sequitur, quòd fictè contrahens non possit rem suam repetere, aut occultè recuperare, sed e contrà teneatur verè consentire, nisi fortè pars decepta ex fictione nullum damnum pateretur. Sequitur itèm, Regem non posse fœdus fictè initum frangere, quin potiùs teneatur servare.

Addunt quidam, Rempublicam in casu conferre dominium non vi contractûs, qui nullus est, sed ex alto dominio, quod habet in bona Civium, ut sic fictè contrahentem puniat, & inconvenientia vitentur. At id non certò constat.

## ARTICULUS III.

### *Utrùm error irritet Contractum?*

NOta 1. Error in contractibus potest versari, vel circà substantiam rei, ut si emas vitrum, putans esse gemmam; si ducas Catharinam, putans esse Annam. Vel circà rei accidentia; ut ducas Mariam pauperem, quam putas esse divitem; si emas vinum recens, putans esse vetus; equum morbidum, putans esse sanum. 2. Error, vel est causa contractûs; ità ut si abesset, non fieret contractus, & dicitur antecedens; vel non est causa contractûs, ità ut si abesset, fieret nihilominùs contractus, licèt non ità libentèr, aut non æquali prètio, & dicitur concomitans, aut incidens. 3. Error causans, seu antecedens, vel est principalitèr movens, ità ut versetur circà id, quod primariò, & principalitèr intendit contrahens; vel est movens minùs principalitèr, & excitans tantùm, ità ut versetur circà id, quod secundariò, & minùs principalitèr intendit contrahens. 4. Tandèm, vel error provenit ab ipso contrahente decepto, vel ab altero contrahente per dolum decipiente, vel ab aliquo tertio non contrahente. His notatis,

Dico 1. Error circà substantiam rei, sive sit antecedens, sive concomitans tantùm, & a quocumque proveniat, irritat contractum. Est communis & certa. Ratio est; quia deest consensus in ipsum contractûs objectum, cum voluntas non feratur in incognitum: ut si emas vitrum, quod putas esse gemmam, consentis in emptionem gemmæ, non vitri: undè, quamvis esses ità dispositus, ut etiàm contraheres, si error abesset, nihilominus non stat contractus, quia tuus consensus actualis fertur in rem apprehensam, & non in aliam, proindèque in gemmam, & non in vitrum.

Dico 2. Error circà rei accidentia, etiàm si antecedens & a fortiori concomitans, non proveniens ex dolo alterius contrahentis, neque irritat contractum, neque rescindibilem facit ad nutum decepti. Ratio est; quia, cùm error versatur tantùm circà rei accidentia, habetur consensus voluntarius in objectum principale contractûs, scilicèt in substantiam rei, quæ subjicitur contractui, & consequentèr sufficiens ad contractûs validitatem. Et cùm aliundè alter contrahens non sit causa hujus erroris non videtur, cur teneatur consentire in rescissionem contractûs. Id tamèn indiget explicatione, quam mox dabo.

Confirmatur 1. Qui explicitè consentit in rei substantiam, censetur consentire implicitè in ea, quæ sunt ipsi annexa. 2. Si ad validitatem contractûs requireretur consensus explicitus in omnes rei qualitates, vix ullus contractus esset validus, cùm pauci ineantur contractus, in quos non irrepat error alicujus circumstantiæ.

Porrò pro recta hujus utriusque Conclusionis intelligentia, diligenter est observandùm, quid hic intelligatur per substantiam rei, quid per accidens. Igitùr substantia rei hic spectari non debet physicè, sed moralitèr & in ordine ad actum voluntarium contrahentis; ità ut id, circà quod intentio contrahentis primariò, & principalitèr versatur (licèt sit accidens physicè) substantia rei dicatur, seu juxta communem modùm loquendi *redundare in substantiam rei*; & e contrà id, circà quod intentio contrahentis versatur tantùm secundariò, & minùs principalitèr (licèt sit substantia physicè) dicatur accidens rei. Cùm enim tota contractuum validitas a contrahentium consensu, & intentione dependeat, id jure vocatur hujus intentionis objectum substantiale, quod primariò & principalitèr intendit contrahens, & objectum accidentale, quod secundariò, & minùs principalitèr intendit.





Verùm non ità facile est in praxi discernere, quandò accidens primariò & principalitèr intenditur a contrahente. Non enim ad hoc sufficit, quòd errans sit ità habitualitèr dispositus, ut si errorem adverterat, non contraheret; id enim contingere potest respectu accidentis minùs principalitèr intenti & excitantis tantùm, ut si ducas Annam principalitèr proptèr ipsam, quam tamèn non duceres, si non esset dives, aut si des eleemosynam Petro, quia pauper est, cui tamèn non dares, si non esset pius, aut Catholicus. Insupèr hæc dispositio habitualis facit equidèm, quòd non fuisset consensus, si error abfuisset, sed non facit quòd de facto non sit: non autèm hic quæritur, quid factum fuisset, sed quid re ipsa factum sit. Adde, quòd aliàs plerique contractus, præsertim matrimoniales, qui reputantur & sunt validi, forent nulli: quia pauci sunt conjugati, qui in comparte non deprehendant defectus, quos si novissent, noluissent illam ducere.

Tùnc ergo accidens censetur primariò & principalitèr intentum, atque transire in substantiam rei, quando apponitur ut conditio limitans consensum; ut si dicas interiùs vel exteriùs: duco Annam, si sit nobilis, aliàs non: emo vinum, si sit Burgundicum, aliàs non. Cùm enim tùnc non præbeas consensum nisi dependentèr ab existentia talis accidentis, si non existat, non consentis, & consequentèr nullus est contractus. Si autèm diceres causalitèr; Duco Annam, quia est nobilis, emo vinum, quia est Burgundicum, res foret dubia, eò quòd Ly *Quia* possit æquè significare motivum secundarium ac primarium, nec sit semper limitativum consensûs. Undè in hoc & similibus dubiis investiganda est aliundè intentio contrahentis; perpendenda sunt verba contrahentium tàm in ipso contractu, quàm antè; conditio objecti, natura contractus facilè, vel difficilè solubilis, ut modò dicam; & si ex his vel aliis circumstantiis possit deprehendi accidens, circà quod error versatur, fuisse de primaria intentione contrahentis, resolvendum est redundare in substantiam rei, & nullum esse contractum; quia, ut jam dixi, totum hoc negotium pendet ab intentione contrahentium.

Itèm, si accidens, circà quod versatur error, sit notabile, ità ut appositum rem, de qùa contrahitur, constituat longè diversam ab ea, quam cogitat & intendit contrahens, quamvis non apponatur formalitèr & implicitè ut conditio limitans, plerumquè tamèn censetur principalitèr intentum, & transire in substantiam rei, sicque apponi virtualitèr & implicitè ut conditio limitans. Hoc tamèn est intelligendum secundùm naturam contractûs facilè, vel difficilè solubilis, & ideò dixi *plerumquè*. Ità quod in facilè solubilibus minor deceptio sufficiat, ut censeatur limitare consensum, & redundare in substantiam rei; major autèm requiratur in difficilè solubilibus; quia unusquisque judicatur prudentèr consentire in contractum secundùm naturam & conditionem illius, nisi constet de contraria ejus intentione.

Porrò contractus facilè solubiles sunt promissiones & donationes gratuitæ, & vota simplicia: cùm enim in his tota obligatio oriatur & pendeat a promittente, prudentèr judicatur noluisse se obligare in omnem eventum, sed rebus in eo statu, quem existimat, stantibus, & non notabilitèr variatis, ut docet apertè S. Th. (*Q. 110. a. 3. ad 5.*), & fert hæc regula satis communitèr recepta: *Promissio gratuita desinit obligare, si re adhùc integra notabilis mutatio accidat.* Perindè est autèm sive notabilis mutatio accidat, sive notabilis aliqua qualitas ignoretur, & posteà innotescat.

Si ergo error versetur circà aliquam qualitatem non levem, irrita est donatio, seu promissio, vel saltèm est rescindibilis ad nutum decepti. Undè, si promittas in gratiam amici ire Lugdunum, putans distare 30. leucis tantùm, & distat 100. non teneris promisso. Promittis dotem puellæ putans esse cognatam tuam, & non est, nulla est promissio. Ad hanc classem revocantur sponsalia, licèt sint promissiones onerosæ; quia, cùm ad perpetuum matrimonii vinculum ex amore mutuo disponant, debent iniri cum magna libertate & perfecta deliberatione.

Contractus difficilè solubiles sunt contractus onerosi, seu reciproci, ut emptio, venditio, etiamsi nondùm traditione firmati, quamvis sint adhùc difficiliùs solubiles, quandò traditione firmantur. Cùm enim hi contractus vim suam & mensuram obligandi non habeant ex unius partis tantùm voluntate, sed ex utriusque contrahentis consensu, contrahens non deceptus non præsumitur facilè consentire in rescissionem contractûs propter aliqualem errorem alterius, cui ipse non dedit causam, nec ad id videtur teneri. Attamèn, si qualitas, circà quam versatur error, sit admodùm notabilis, ità ut prudentum judicio censeatur ingredi intentionem principalem contrahentis decepti, & sic redundare in substantiam rei moralitèr consideratam, ut dictum est, existimamus irritum esse contractum, aut saltem rescindibilem ad nutum decepti, v. gr. emis equum ad gignendam prolem, putans idcircò juvenem, generosum & potentem, & est annosus, emarcidus, impotens. Emis ex præcepto medici pro infirmo vinum, quod putas Burgundicum, & est Campanum; dicimus, inquam, hos contractus esse irritos, aut saltèm irritabiles ad nutum tuum; quia istæ qualitates afficiunt tuam intentionem principalem, & sic redundant in substantiam rei moralitèr consideratam, ità ut quamvis non apponantur formalitèr & explicitè ut conditiones limitantes, censeantur tamèn ex circumstantiis virtualitèr & implicitè apponi.

Tandèm contractus omnium firmissimus & maximè indissolubilis est contractus matrimonialis præsertim apùd Christianos, ita quòd ob nullum errorem qualitatis, quamvis causam dederit contractui, sit irritus, nisi certò constet actualem voluntatem contrahentis fuisse non contrahere, nisi posita hac qualitate. Ratio est; quia & hujus Sacramenti institutio, & bonum prolis, ac Reipublicæ propagandæ, & certitudo statûs habenda exigunt, ut pro validitate matrimonii sempèr præsumatur, nisi contrarium certò constet. Hujus naturam proximè sapit votum solemne Religionis, quod est quasi matrimonium spirituale, & colligitur ex cap. ultimo casus. 20. Q. 3.

Dico 3. Error antecedens circà accidentia proveniens ab altero contrahente per dolum ejus, aut ab alio tertio, cujus ipse sit conscius, non irritat contractum (modò non redundet in substantiam rei, ad sensum conclusionis præced.) efficit tamèn ipsum rescindibilem ad nutum decepti; secùs, si sit concomitans. Prob. 1. pars 1. Quia dolus ille non tollit consensum circà objectum principale contractûs, cùm non rei substantiam, sed accidens tantùm respiciat. 2. Quia, si deceptus velit stare contractui decipiens tenetur: ergo anteà erat validus. 3. Quia in Jure dolus & metus æquiparantur, sed metus non irritat ex se contractum, ut modò dicam: ergo nec dolus.

Prob. 2. Pars. Decipiens facit injuriam decepto, quam proindè tenetur etiàm antè sententiam Judicis reparare auferendo fraudem & deceptum in integrum restituendo: ergo potest etiàm deceptus antè omnem Judicis sententiam hanc injuriam sibi illatam a se excutere per contractûs rescissionem. Id tamèn locùm non habet in contractibus, qui semèl validi invalidari ampliùs non possunt ut est Matrimonium Jure potissimùm divino indissolubile. Præterea competit decepto actio. *In id quod interest decepti non decipi*, hoc est, jus repetendi, non solùm rem, aut pretium, sed etiàm compensationem omnium damnorum, quæ ex contractu sunt secuta, ut si dolo vendentis deceptus emeris ovem morbidam, quæ tuas infecit, potes repetere damnum injustè causatum, & vendens tenetur restituere.

Tertia pars patet: cùm enim error concomitans circà accidentia non auferat consensum substantialem non irritat contractum, & aliundè, cùm non sit causa contractûs, non est ratio, cur illo errore remoto contractus infirmari debeat. Interim tamèn decepto adversùs decipientem competit etiàm actio, ut solvat quanti interest dolum non fuisse adhibitum, ut modò dicebam.

Dices 1. Contrà 1. partem conclusionis. Tales Contractus in Jure nulli dicuntur, & irriti: ergo. R. 1. Sæpiùs in Jure dici irritum, quod est irritandum. 2. Dicuntur irriti, non quoad substantiam, sed quoad effectum, quia Judici committitur rescissio facienda etiàm cum fructuum restitutione, perindè ac si deceptus sempèr in dominio mansisset, & contractus ab initio fuisset irritus. 3. Vel tandèm dicuntur irriti ex parte decepti, quia ad nutum ejus sunt rescindibiles ac si nulli fuissent.

Dices 2. Naturalis æquitas non patitur, ut quis per injuriam jus & actionem consequatur: ergo. R. Desipientem non acquirere jus per injuriam, sed per mutuum consensum in substantiam rei; per injuriam autèm acquiri e contrà debitum restituendi & rescissionem contractûs patiendi, si velit deceptus.

Dices 3. Talis contractus est injustus: ergo nullus. R. D. Ant. est injustum secundùm quid, scilicèt quoad aliquod accidens, C. Est injustus simplicitèr & quoad rei substantiam, N. Ant. & conseq. Potest enim contractus esse ex parte injustus, & tamèn validus.

## ARTICULUS IV.

*Utrùm metus irritet Contractum?*

NOta 1. Metus definitur in Jure: *Futuri & instantis periculi causa mentis trepidatio*, id est, inquietudo & perturbatio. Alius est gravis, alius levis. Gravis alius absolutè gravis, qui dicitur cadens in constantem virum, quo nempè timetur malum grave & imminens, ut mors, exilium, durus carcer &c. Respectivè gravis est, quo, licèt non moveretur vir constans, moveretur tamèn meticulosus, ut puer, fœmina, senèx. Levis est, quandò timetur leve malum, aut grave quidèm, sed non imminens. Ad metum absolutè gravem revocatur metus reverentialis, quo quis sibi timet Parentes, vel Superiores graviter infensos & minantes: quòd si absint minæ & gravis indignatio, potest dici levis, nisi fortè respectivè ad filiasfamilias, quibus est genium meticulosum. Nota 2. Metus oriri potest, vel a causa naturali, ut a morbo, incendio, tempestate; vel a causa libera, homine scilicèt: & hic vel justè, vel injustè incutitur. Itêm incutitur, vel in ordine ad contrahendum, vel ad alium finem.

Suppono 1. Omnem contractum, initum ex metu gravi a causa naturali incusso, esse validum; idem dic de voto; quia, licèt sit involuntarius secundùm quid, quatenùs non fieret, si abesset metus, est tamèn omnibus consideratis hic & nùnc simplicitèr voluntarius: contrahens enim voluntariè atque prudentèr eligit contrahere ut minus malum, ad evitandum majus: de quo fusiùs in tractatu de actibus humanis, ubi communitèr traditur, ea, quæ fiunt ex metu, esse involuntaria secundùm quid & voluntaria simplicitèr. Hinc puella naufragans, quæ promittit liberanti se matrimonium, aut pecuniæ summam, tenetur promisso. Suppono 2. Omnem contractum, initum ex gravi metu a causa libera justè incusso, esse validum; quia non solùm talis contractus est simplicitèr voluntarius, ut modò dicebam de præcedenti, sed etiàm metus, seu periculum, in quo versatur contrahens, est ipsi voluntarium in causa, neque de illo tanquàm de injuria conqueri potest. Hinc, si quis metu excommunicationis, aut alterius sententiæ infamantis ducit, aut dotat puellam, quam sub promissione Matrimonii defloravit, valet Matrimonium, vel dotis collatio.

Neque refert, quòd Lucius III. C. *Requisivit; De Sponsal. & Matrim.* loquens de muliere, quæ sponsalia jurata adimplere recusabat, dicat: *Quòd, cùm libera esse debeant Matrimonia*, mulier hæc *potiùs monenda est, quàm cogenda*: his enim verbis Pontifex non negat, Matrimonia justo metu inita esse valida, sed consulit dumtaxàt, ut hæc mulier, quantùm fieri potest, bonis rationibus suadetur, potiùsquàm vi cogatur: Quia, inquit, *Coactiones difficiles exitus solent habere*; non dicit, ut vides, quia invalida sunt talia Matrimonia; quod indubiè dixisset, si sic esse credidisset.

Suppono 3. Omnem contractum, initum ex gravi metu a causa libera injustè incusso, sed non in ordine ad contrahendum, esse validum; saltèm, si non ineatur cum illo, qui metum incussit: v. gr. Detentus a sicariis advocas transeuntes in auxilium, & eis promittis summam pecuniæ, tenet promissio; non solùm quia est simplicitèr voluntaria ut in præcedentibus, sed etiàm quia iste metus, licèt sit occasio promissionis, non tamèn est causa, sed tua libera voluntas, quæ prudentèr & liberè eligit hoc medium ad evadendum mortem præter intentionem metum incutientis. Adde, quòd ii, quibus promittis, non faciant tibi injuriam, sed e contrà opus utile præstant. Dixi: *Saltèm si non ineatur cum illo, qui metum incussit*, de quo modò. Hi, inquam, omnes Contractus secundùm communem sententiam sunt validi tàm Jure naturali, quàm civili; neque etiàm ad nutum metum passi sunt rescindibiles, quia ii, quibuscum contrahit, non faciunt ipsi injuriam.

Restat ergo difficultas de Contractu, inito ex gravi metu injustè incusso in ordine ad Contractum, aut equidèm etiàm sine ordine ad Contractum, si Contractus ineatur cum ipso vexante. Et quæstio est de Jure naturæ. Quidam asserunt, omnes hujusmodi Contractus indiscriminatim esse Jure naturæ validos: quidam excipiunt Matrimonium. Alii distinguunt intèr Contractus, quorum objectum est sola liberatio ab injusta vexatione, & dicunt hos esse Jure naturæ invalidos: & Contractus, quorum objectum est aliud, quàm liberatio ab injusta vexatione, & dicunt, hos esse Jure naturæ validos, cum quibus

Dico 1. Contractus, cujus objectum est sola liberatio a vexatione, seu metu injusto, est Jure naturæ invalidus sive metus incutiatur in ordine ad Contractum, sive non modò tamèn in hoc ultimo casu Contractus teneatur cum incutiente metum. Sit casus: mihi minaris mortem, aut incendium, nisi promittam, vel dem tibi, aut alteri 100. aureos; en metus in ordine ad Contractum. Itèm: mihi ex odio & vindicta tentas inferre mortem, vel incendere horreum meum, ut ab hac injusta vexatione cesses, promitto, vel do tibi 100. aureos; en metus, qui non fuit incussus in ordine ad contractum, contractus tamèn proponitur & acceptatur ad avertendum illum metum & injustam vexationem. Dicit itaquè conclusio, talem contractum in utroque casu esse Jure naturæ invalidum.

Quidam probant conclusionem ex hoc, quòd hujusmodi contractus non sit sufficientèr voluntarius, sed perperàm. Non enim est minùs voluntarius, quàm contractus, de quibus antè diximus, & de quibus modò dicemus, cum in omnibus idem principium militet, nimirùm ea, quæ fiunt ex metu, esse simplicitèr voluntaria. Ratio ergo conclusionis est; quia in hujusmodi contractibus deest materia, de qua possit validè contrahi. Prob. vexans contrahens ex sua parte nihil aliud confert, quàm liberationem, seu cessationem ab injusta vexatione; atqui hæc cessatio non est vendibilis, nec vexans potest validè de ea contrahere: ergo. Prob. min. hæc cessatio est ex justitia debita vexato, habet enim jus strictum, ne quis eum metu injusto vexet, & vexans tenetur ex justitia cessare a vexatione, imò tenebatur non facere vexationem: ergo hæc cessatio, seu liberatio a vexatione non est magis vendibilis, quàm justa Sententia sit vendibilis a Judice, aut quàm meus equus furto sublatus sit mihi a fure vendibilis. Et hoc etiàm verum est, quamvis metus sit levis; liberatio enim a vexatione, sive gravi, sive levi, est invendibilis. Undè injustè vexans tenetur statim, & non expectata Judicis sententia, restituere, quod accepit, cùm nullo titulo retinere possit. Neque enim confugere potest ad titulum spontaneæ promissionis, aut donationis, cùm evidens sit non esse hìc spontaneam promissionem, neque donationem, quæ debet esse liberalis & gratuita, sed esse contractum onerosum innominatum, *do, ut facias*.

Dico 2. Contractus, cujus objectum est aliud quàm cessatio ab injusta vexatione, initus ex gravi metu injustè incusso, in ordine ad contractum, etiàm cum ipso vexante, est Jure naturæ validus. Prob. Talis contractus est simplicitèr voluntarius, & aliundè non deest materia, de qua possit contrahi: ergo. Antecedens pro 1. parte patet ex dictis; patet etiàm pro 2. dùm enim me metu cogis, v. gr. commutare meum hortum cum tuo, aut cum horto vicini, non obstante metu, hortus tuus non secùs, ac meus est pretio æstimabilis & vendibilis, utpotè non ideò mihi debitus ex justitia. Similitèr, dùm Annam metu adigis, ut tibi, vel alteri nubat, corpora contrahentium, non obstante metu, remanent materia apta contractui matrimoniali: ergo. Neque refert, quòd vexans faciat injuriam vexato; hæc enim injuria non facit, quòd id, quod vexans ex parte sua confert, puta hortum, ut in exemplo allato, sit vexato debitum ex justitia, & invendibile, seu incommutabile; neque impedit, quin vexatus voluntariè consentiat in contractum; si enim eodem metu cogeretur ad actum de se malum, consentiendo peccaret; quia non obstante injuria voluntariè consentiret.

Dices: matrimonii vinculum est perpetuum, & semèl validum ampliùs solvi non potest: ergo Jure naturæ videtur requirere pleniorem consensum, quàm cæteri contractus rescindibiles, proindèque non coactum. Confirm. Vinculum matrimonii est vinculum amoris; atqui metus injustus impedit amorem: ergo. Ità Daëlman. R. Fateor rationi consentaneum esse, ut matrimonium proptèr suam indissolubilitatem pleniore consensu ineatur, quàm cæteri contractus rescindibiles, & ideò Jus positivum, aut etiàm fortè Jus gentium matrimonium metu contractum irritavit: verùm hùc non probatur, id necessariò Jure naturæ requiri; aliud enim est, quòd ratio aliquid suadet ut congruum; aliud, quòd aliquid præcipiat ut necessarium. Sed ad hoc vinculum videtur Jure naturæ sufficere tale voluntarium, quale sufficit ad peccatum mortale, quod inducit etiàm vinculum perpetuum damnationis, & quale sufficit ad vinculum indissolubile voti solemnis: ad hæc autèm Jure naturæ sufficit voluntarium metu coactum.

Dico 3. Probabile est, contractus, quos præcedente conclusione dixi Jure naturæ valere, etiàm Jure positivo esse validos, paucis exceptis. Prob. conclusio ex variis Legibus, intèr quas L. 21. ff. *de eo quod metûs causa*, dicitur: *Si metu coactus adii hæreditatem, quo me hæredem efficiat, quia, quamvis, si liber fuissem, noluissem, tamèn coactus vo-*



*volui; sed per prætorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur.* Itèm Instit. *de exceptione* §. 1. dicitur: *Si metu coactus stipulanti Titio promisisti quod non debueras, palàm est Jure Civili te obligatum esse.* Et L. ultima C. *De his, quæ vi.* Præcipitur, ut infirmentur contractus per coactionem initi: ergo erant validi. Non me latet, plures etiàm Leges in contrarium opponi, & ideò hanc conclusionem ut probabilem dumtaxàt propono.

Obj. ergo: ea, quæ fiunt ex metu, in Jure dici *irrita, carere robore, nullius momenti*, & similia. C. *Ad audientiam. De his, quæ vi.* L. *Quia carcerem.* 22. ff. *De eo, quod metûs causa*; & alibi. R. ut suprà de errore, hæc dici irrita, carere robore, nullius momenti, quia sunt irritabilia ad nutum metum passi, ut dicam infrà; non rarò enim in Jure dicitur irritum, quod est irritandum.

Inst. L. 9. ff. *De eo, quod metûs causa*, res tradita a metum passo dicitur *esse in ejus bonis*; & ibidèm, conceditur ipsi actio, non solùm in vexantem, sed etiàm in rem ipsam: ergo ejus dominium non fuit translatum per contractum, & consequentèr contractus fuit nullus. R. Rem *esse in bonis* metum passi, non simplicitèr, sed æquivalentèr, quia ad nutum ejus recuperabilis. Eadem ratione ipsi conceditur actio in rem, quia dominium illius, quod habet vexans, est admodùm debile, & pro libitu vexati revocabile, ita ut perindè sit, ac si non haberet, & mansisset apùd vexatum.

Dixi: *paucis exceptis*; quia juxtà unanimem Theologorum, & Jurisconsultorum Sententiam quidam absolutè per Leges irritantur: hi sunt 1. Matrimonium Can. *Veniens* 15. *de Sponsalibus.* Extrà l. 4. tit. 1. Cui plures jungunt Sponsalia, quia sunt via ad matrimonium. 2. Promissio, & solutio dotis L. 21. ff. *De eo, quod metûs causa.* 3. Votum solemne, insinuatur C. *Perlatum*, Extrà. l. 1. tit. 40. & juxtà plures, quodlibet votum simplex; insinuatur etiàm C. *Cui dilectus* ibid. 4. Traditio, aut p omissio rerum Ecclesiasticorum C. *Pervenit*; *De jurejurando.* 5. His addunt multi auctoritatem tutorum per metum extortam, electionem, & jurisdictionem coactam.

Dico 4. Contractus, quos duabus præced. conclusionibus dixi esse validos, tàm Jure naturali, quàm civili, sunt rescindibiles ad nutum metum passi, sive metus sit gravis, sive levis, modò det causam contractui, & sit injustè incussus in ordine ad contractum. De metu gravi est communis, & constat ex Juribus cit. prò, & contrà præced. conclusionem.

Prob. ratione, quæ militat etiàm pro metu levi. Qui metum, sive gravem, sive levem injustè incutit ad contrahendum, injuriam facit alteri contrahenti, quam ideò antè omnem Judicis sententiam reparare tenetur reddendo vexatum suæ libertati, & omnia in primum statum restituendo: ergo id paritèr potest vexatus per contractûs rescissionem. Quod autèm Jura loquantur tantùm de metu gravi, ideò est, ne nimirùm multiplicentur lites, & quia præsumitur, metum levem non dedisse causam contractui: sed ubi contrarium accidit, præsumptio cedit veritati, maximè in foro interno. Si dicas, vexatum non debuisse moveri metu levi: Fateor; verùm id non obstat, quin alter fecerit ipsi injuriam, qua de facto motus est ad contrahendum.

Obj. insupèr contrà utramque partem. Si injustè vexans teneatur rem restituere: ergo non habebat ejus dominium: ergo contractus fuit nullus, quod est contrà præced. conclusiones. R. Non dixi, quòd teneatur rem restituere, sed injustè vexatum suæ libertati reddere, & in pristino statu reponere. Quo facto, si vexatus priorem consensum non retractet, vexans poterit rem retinere. Et dato quòd rem debeat restituere, non erit præcisè ob defectum dominii, sed ut jam dixi, ob ejus debilitatem, & revocabilitatem, quam verosimilitèr intendit injustè vexatus.

Petes, utrùm vera sit conclusio, etiamsi contractus ineatur cum aliquo tertio, metûs injusti nescio; v. gr. cogis Titium, ut vendat equum suum Cajo, hujus metûs inscio. Potestne contractum cum Cajo ad nutum suum rescindere? R. affirmativè. Ità expressè in Jure L. *Itèm* 14. §. *In hac actione* ff. *quod metûs causa*, his verbis: *In hac actione non quæritur, utrùm is, qui convenitur, ùn alius metum fecit; sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim.* Ratio etiàm suadet; quia ratione injuriæ contractus est ità infirmus, ut domino maneat jus, non tantùm in personam, quæ intulit injuriam, sed etiàm ad rem, ità ut in quosvis transeat, maneat hoc vitio affecta.

## ARTICULUS V.

*Quinam possint validè contrahere.*

GEneralitèr loquendo ii omnes & soli, qui habent rerum suarum administrationem, possunt validè contrahere; quia in contractibus agendis consistit præsertim administratio. Undè, qui sunt incapaces administrationis, ut amentes, & furiosi, vel ii, quibus ex toto auferrur a Jure bonorum administratio, ut sunt prodigi, quibus constituuntur Curatores, inhabiles sunt ad contrahendum; itèm & Religiosi sine licentia sui Prælati. Difficultas est potissimùm circa Filiosfamilias, Pupillos, Minorenues, & Uxores. Pro quo

Nota 1. Infans dicitur, qui non complevit 7. ætatis annum, sive sit mas, sive fœmina. Impubes dicitur, qui nondùm complevit 14. ætatis annum, si sit mas, & 12. si sit fœmina. Impubes dicitur pubertati proximus, qui magis appropinquat ad terminum, in quo incipit pubertas, quàm ad terminum, in quo desinit infantia: undè mas, qui complebit 10. annum cum dimidio, est pubertati proximus; & fœmina, quæ complevit 9. annum cum dimidio, est pubertati proxima. Mas ab anno 14. completo, & fœmina a 12 completo usquè ad annum 25. completum, dicuntur Puberes, & Minorennes, post 25. completum, dicuntur Majores, sive sit mas, sive fœmina.

Infanti, vel impuberi, qui dicitur Pupillus, deficiente Patre, aut avo paterno datur Tutor; Minorenni Curator. Tutor datur primariò ad regendam personam pupilli, secundariò ad administranda ejus bona. Curator e contrà datur Minorenni primariò ad administranda ejus bona, secundario ad regendam ejus personam. Pupillo etiàm invito dandus est Tutor L. 2. ff. *De titulis.* Sed Minorenni invito non est dandus Curator §. *Itèm inviti* instit. *De curat.* Si tamèn Minorennis Curatorem suscipit, cogitur esse sub illo: similitèr, si Pater Testamento puberi dedit Curatorem §. 1. Inst. ibid. Minorennis, a fortiori Pupillus sine Tutore, vel Curatore non admittitur in judicio, sive ut reus, sive ut actor, nisi in causis spiritualibus, puta, beneficii, aut matrimonii, & his annexorum.

Tutela est triplex, testamentaria, legitima, & dativa. Testamentaria est, quandò Pater, aut alter instituens hæredem designat in suo testamento Tutorem Pupillo hæredi. Legitima, quandò assumitur in Tutorem proximus agnatus. Dativa, quandò datur Tutor a Judice.

Filiusfamilias dicitur, quandiù sub Patris, aut Avi paterni potestate existit, etiamsi compleverit vigesimum quintum annum. Quot modis Filiusfamilias patriam potestatem exuat, & fiat sui juris, dictum dissert. 3. de Jure art. 4. sub finem; require.

Duplex est obligatio: una naturalis, vi legis naturalis, & quoad forum poli: altera civilis, vi legis positivæ, & quoad forum fori. His notatis,

Suppono, infantem, sive sit Filiusfamilias, sive Pupillus, nullatenùs posse per se contrahere sibi in suum incommodum, sive in suum commodum: quia infans præsumitur in Jure non habere sufficiens judicium ad contrahendum: undè dicitur §. *Sed quod* inst. *De inutil. stipulat.* l. 3. tit. 30. *Infans, & qui infantiæ est proximus, non multùm a furioso distant, quia hujusmodi ætatis pupilli nullum* (id est, non sufficientem) *habet intellectum.* Porrò quamvis his verbis infantiæ proximus, non secùs ac infans, videatur declarari inhabilis ad contrahendum, probabile est tamèn eum posse contrahere in suum commodum; quia ibidèm subditur: *Sed in proximis infantiæ proptèr utilitatem eorum benignior Juris interpretatio facta est, ut idem juris habeant, quod pubertati proximi.* Pupilli autèm pubertati proximi contrahere possunt in suum commodum, ut ibidèm dicitur, & dicemus infrà. Est tamèn hìc notanda disparitas intèr Pupillum, & Filiumfamilias impuberem: quòd Pupillus, sive infans, sive infantiæ proximus, auctore possit Tutore obligari? at Filiusfamilias infans, aut infantiæ proximus: *Nec auctore quidèm Patre obligatur* §. *Sed quod* 10. cit. Ratio disparitatis est, quòd Pupillus Tutorem obligatum habeat, & ipsum possit convenire, si malè consensum præstet, non sic Filiusfamilias Patrem. His notatis, & suppositis.

*Circà Filiosfamilias.*

DIco. Filiusfamilias pubes, aut pubertati proximus; etiàm absquè consensu Patris obligatur tàm civilitèr, quàm naturalitèr, ex omni contractu, qui non cedit in præ-

præjudicium Patris. Ità §. *Itèm inutilis* instit. *De inutil. stipulat.* cit. & L. 38. ff. *De action. & obligat.* Ubi dicitur: *Filiusfamilias ex omnibus causis tanquàm Paterfamilias obligatur, & ob id agi cum eo tanquàm Patrefamilias potest.* Ratio est; quia patria potestas est ad correptionem personæ, non ad bonorum ejus curationem.

Hinc inferes, Filiumfamilias puberem posse contrahere de bonis castrensibus, & quasi castrensibus: non tamèn de profectitiis, aut adventitiis, quorum vel dominium, vel administratio, & ususfructus pertinent ad Patrem, nisi de Patris licentia, quam concedere censetur, dùm Filium exponit negotiationi. Idem de delicto, vel damno dato Filiusfamilias per seipsum obligationem contrahit, non Pater, si culpa ejus non intervenit §. ultimo Instit. *de noxalibus action.* hoc intellige de Jure communi. Contrarium enim statuitur in Consuetudine Leodiensi c. 1. art. 8. Quantùm ad ea, quæ Filiusfamilias lucratur in domo paterna, dixi Dissert. 3. cit. art. 4. vide. Itèm potest Filiusfamilias pubes contrahere de suis operis eas locando. Nec potest Pater impedire eum, ne domo paterna exeat, artem discat, aut aliquod honestum vitæ genus assumat; nisi fortè Pater inops indigeat ejus opera ad victum. Quia alioquin homo liber efficeretur servilis conditionis, si a Patre in paterna domo veluti in carcere perpetuo detineri posset. Ità docet Layman ex communi Sententia.

Hic tamèn facienda est exceptio quoad mutuum datum Filiisfamilias, proptèr Senatusconsultum *Macedonianum*, sic dictum a quodam Macedone famoso usurario, qui illi occasionem dedit. Hoc ergo Senatusconsulto sic decernitur: *Placere, ne cui, qui Filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiàm pòst mortem Parentis ejus, cujus in potestate fuisset, actio, petitioque daretur.* L. 1. ff. *de Senatusconsulto Maced.* l. 14. tit. 6. Quod extenditur ad pupillos, & minorennes mutuo accipientes sine consensu tutoris, vel curatoris. L. *Pupillus* 59. ff. *de obligat. & action.* l. 44. tit. 7.

Ex hoc ergo habemus 1. Quòd mutuanti Filiisfamilias, pupillis, & minoribus sine consensu respectivè Patris, tutoris, aut curatoris non competat actio civilis ad repetendum mutuum. 2. Quòd, quamvis Filiifamilias, pupilli, & minorennes sic accipientes mutuo teneantur secundùm quid obligatione naturali reddere mutuum, non tamèn teneantur efficacitèr, quia possunt uti beneficio legis, sive ad non reddendum, sive ad repetendum redditum, ut fusiùs modò explicabo circà pupillos, & minorennes. Idque sic legibus rectè cautum est, ne Filiifamilias, pupilli, & minorennes ex nimia facilitate licentiùs vivant, & debitis onerentur.

Sunt tamèn quidam casus, in quibus præfati obligantur, tàm civilitèr, quàm naturalitèr, reddere mutuum: 1. est, si ex mutuo Filiusfamilias, pupillus, aut minorennis factus sit ditior, utpotè quia per mutuum solvit debita; emit fundum, aut alitèr in ejus utilitatem expensum est. 2. Si Filiusfamilias communitèr reputabatur Paterfamilias. L. 3. ff. *de Senatusconsulto Macedon.* cit. 3. Si mutuans bona fide mutuum dedit ea mente, & opinione fundata, ut utilitatem Filiifamilias procuraret, quamvis præter ejus intentionem in malos usus sit expensum. 4. Si sciente Patre mutuum datum sit. L. 12. ibid. 5. Si Pater solvere cœperit, quia solvendo ratum habuit. L. 7. §. 13. ibid. 6. Si Filius factus Paterfamilias partem debiti solverit. Ib. §. 16. 7. Si Filiusfamilias habeat peculium Castrense. His, inquam, casibus, & quibusdam aliis apùd Juristas cessat Senatusconsultum, & tenetur Filiusfamilias tàm naturalitèr, quàm civilitèr reddere mutuum.

### *Circà Pupillos, & Minorennes.*

DIco 1. Pupillus, aut minorennis contrahens etiàm cum auctoritate tutoris, vel curatoris, non obligatur neque civilitèr, neque naturalitèr circà alienationem suorum bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt, hoc est, sana custodiri per triennium, nisi Judicis decretum accedat. L. *Si prædia* ff. *de rebus earum* l. 27. tit. 9. ubi minorennes quoad hoc æquiparantur furiosis. R. *Lex.* 22. C. *de administratione* l. 5. tit. 37. L. *Prædium.* C. *quandò decreto opus non est* l. 5. 72. & alibi estque ferè communis Sententia Doctorum, inquit Lessius. Quod etiàm est intelligendum de hypothecæ servitutis constitutione, si cum alienationis periculo juncta sit.

Dico 2. Pupillus pubes, aut pubertati proximus, seu minorennis, contrahens cum auctoritate tutoris, vel curatoris de aliis, quàm de immobilibus, aut mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt, obligatur tàm naturalitèr, quàm civilitèr L. *Impuberes* ff. *de Consens. & Auct. tut.* Idem dic de minorenne non habente curatorem, dùm solus contrahit de præfatis. C. *Si Curatorem* C. l. 2. tit. 22. & alibi. Excipe, quandò pupillus contrahit cum suo tutore, tùnc enim neque naturalitèr, neque civilitèr obligatur, quia Jura tali contractui resistunt, nisi fortè haberet plures tutores, & cum uno contraheret auctore altero.

Dico 3. Pupillus pubes, aut pubertati proximus, seu minorennis habens curatorem potest sine consensu tutoris, aut curatoris contrahere in suum commodum, non in suum incommodum, hoc sensu scilicèt quòd non obligetur civilitèr, obliget tamèn suum contrahentem ætate majorem. §. *admonendæ* Inst. *quibus alienare licet.* §. *Pupillus.* Inst. *de inutil. stipulat.* L. *Obligati* ff. *de consens. & auct. tut.* & alibi. Sic autèm statuerunt Jura in favorem illius ætatis, ut nempè *minoribus ætas in damnis subveniret, & in prosperè gestis non abesset.* Sit casus: Pupillus, aut minorennis absquè consensu tutoris, vel cutatoris emit pannum a mercatore ætate majore, non soluto pretio, nec merce tradita, mercator non potest compellere pupillum, aut minorennem, ut stet contractui, & solvat pretium constitutum pro merce. Potest tamèn pupillus, aut minorennis compellere civilitèr venditorem, ut stet contractui, & tradat pannum pro constituto pretio: & ideò tales contractus dicuntur de jure claudicare. Cæterùm observant Auctores, mercatorem posse recusare executionem contractûs, donèc pupillus, aut minor obtinuerit consensum tutoris, vel curatoris, aut Judicis decretum, si sit necessarium, vel juramento firmaverit; quæ si recuset, censetur dolo egisse, & Mercator non obligatur; quia fraus, & dolus nemini patrocinantur.

At difficultas est, utrùm pupillus, aut minorennis contrahens in casu præcedentis conclusionis non obligetur saltèm naturalitèr, & in foro conscientiæ, stare contractui? Equidèm obligari, nedùm naturalitèr, sed etiàm civilitèr in certis casibus specialibus, nullus negat. Si factus sit ditior, v. gr. pupillus, emit vinum non soluto precio, & bona fide illud consumpsit, obligatur & naturalitèr, & civilitèr solvere venditori in quantùm indè factus est ditior, puta, in quantùm pepercit proprio vino, vel cerevisiæ. 2. Si res tradita ejus dolo periit, ad ejus æquivalens obligatur tàm civilitèr, quàm naturalitèr. 3. Si sit minorennis, & contractum etiamsi de alienatione immobilium juramento firmaverit, obligatur civilitèr, & naturalitèr; quia secundùm Jura juramentum supplet defectum ætatis. L. *Si minor*, & L. *Sacramenta* C. l. 2. tit. 28. de quo infrà 4. Minorennis, Religionem professus, omnia bona sua absquè curatoris auctoritate, & ulla Juris solemnitate potest validè donare, cui voluerit, etiàm absquè beneficio restitutionis in integrum, quia censetur mori. Ità de Jure communi Sylvester, Sa, Armilla, Abbas, quos citat, & sequitur Layman. Est igitùr difficultas, utrùm extrà hos casus pupillus pubes, aut pubertati proximus, & minorennis, habens curatorem, si contrahent de aliis, quàm de alienatione immobilium, seu mobilium pretiosorum, quæ servari possunt sine consensu tutoris, vel curatoris, obligentur naturalitèr, & in foro conscientiæ stare contractui? Alii affirmant, alii negant, utrimque probabilitèr proptèr diversa Jura utrìque Sententiæ faventia. Ut hæ Sententiæ, atque Jura concilientur,

Dico 4. Pupillus pubes, aut pubertati proximus, & minorennis habens curatorem, contrahentes de aliis, quàm de alienatione suorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt, sine consentu tutoris, vel curatoris incurrunt obligationem naturalem, & coràm Deo, non tamèn firmam, nec quoad omnes suos effectus. Est satis communis. Prob. 1. pars. Obligatio naturalis oritur ex consensu sufficiente, ut patet ex suprà dictis; atqui pupillus, pubertati proximus, & a fortiori minorennis, habent consensum sufficientem, ut patet ex §. *Pupillus* 9. & §. *Sed quod* 10. Instit. *de inutil. Stipulat.* l. 3. tit. 20.: ergo.

Prob. 2. L. *Si pupillus* ff. *ad Legem falcidiam* l. 35. tit. 2. & L. 1. ff. *de notat. & delegat.* l. 46. tit. 2. expressè habetur, pupillum contrahentem absquè consensu tutoris, naturalitèr obligari. Prima sic habet: *Si pupillus, cui sine tutore decem mutua data sunt, legatum a creditore meruerit sub hac conditione, si decem, quæ acceperit, hæredi reddiderit una numeratione, & implet conditionem, liberatur naturali obligatione*: ergo ea tenebatur. Secunda sit: *Qualiscumque obligatio sit quæ præcessit, novari verbis potest, dummodò sequens obligatio, aut civilitèr teneat, aut naturalitèr, ut puta, si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit*: *ergo.*

Confirmatur. Si ad contractum a pupillo sine tutore initum accedat fidejussor, is civilitèr obligatur ut constat ex L. *Si pupillus* ff. *de receptis, qui arbitrium, &c.* & alibi; atqui fidejussor non obligaretur civilitèr, si pupillus non obligaretur naturalitèr: ergo. Probat. minor. 1. Quia, secundùm regulam Juris 178. ff. *de reg. Juris* l. 5. tit. 17. *Cùm principalis causa non consistat, plerumquè ne ea quidèm, quæ sequuntur, locum habent.* 2. Quia L. *Naturalitèr* 13. ff. *de condict. indebiti.* l. 12. tit. 6. ratio redditur, cur fidejussor pro servo acceptus teneatur; quia scilicèt servus naturalitèr obligatur, his verbis: *Naturalitèr etiam servus obligatur....& ob id & fidejussor pro servo acceptus tenetur*: ergo.



Pro intelligentia 2. partis, & Jurium concordantia, notandum obligationis naturalis plures esse effectus. Primus est, quòd tribuat creditori jus accipiendi & retinendi, si quod ipsi naturalitèr debetur, nulla apposita exceptione solvatur. Secundus, quòd impediat soluti debiti repetitionem. Tertius, quòd, licèt in foro externo non tribuat actionem, tribuit tamen jus exceptionis & compensationis.

Primus est præcipuus & inseparabilis; ubi enim deest, nulla est obligatio naturalis, ut patet in contractu cum infante, aut furioso, in quo contrahenti nullum jus acquiritur accipiendi, aut retinendi, quod sibi datur ab infante, aut furioso. Sed nihil implicat, quin subsistente obligatione naturali quoad hunc primum effectum, alii effectus vi legum impediantur.

Itaquè, quandò leges negant pupillum contrahentem sine tutore naturalitèr obligari, supposito quòd non loquantur de pupillo infante, vel de alienatione immobilium, quod non raròò contingit, intelligendæ sunt de obligatione naturali quoad aliquos ejus effectus tantùm, non quoad omnes; ità ut secundùm variorum effectuum considerationem modò affirment, modò negent naturalem obligationem. Igitùr pupillus sic contrahens obligatur naturalitèr, quatenus si id, de quo contraxit, solvat sine exceptione, is, quocum contraxit, possit tuta conscientia accipere & retinere; quod non posset, si nulla esset obligatio, ut patet in contractu infantis, aut amentis, ut jàm notavi. Non obligatur autèm naturalitèr, quatenùs potest apponere exceptionem ex beneficio legis civilis, non compellentis ipsum ad solutionem, & tribuentis jus repetendi solutum, quo casu creditor tenetur restituere. Undè pupillus obligatur, & non obligatur sub diversa ratione; obligatur inefficaciètr non obligatur efficacitèr. Et sic manet probata 2. pars conclusionis, atquè indè solvuntur argumenta, quæ opponi possunt ex variis legibus contra 1. partem.

Opponitur itaquè 1. Quod pupillus solvit, non fit accipientis §. *Nunc admonendi*: & §. *fin.* Instit. *quibus alienare licèt.* l. 2. tit. 8. ergo non obligatur naturalitèr, nequidèm quoad 1. effectum obligationis naturalis. 2. Pupillus comparatur prodigo L. *Si curatorem.* C. *De in integr. rest.* Itèm furioso L. *Interdùm* ff. *De condict. indebiti.* Prodigus autèm, & furiosus non obligantur naturalitèr. 3. Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nequidèm Jure naturali obligatur L. *Pupillus* 59. ff. *De obligat. & action.* l. 44. tit. 7. 4. Si pupillus obligetur naturalitèr, leges, quæ contrà ipsum negant actionem, forent injustæ; obligatio enim naturalis confert jus illi, cui debetur, dicendi in foro talem sibi Jure naturæ obligari, quod vocatur exceptio: ergo.

Hæ, inquam, leges & aliæ similes 1. possunt ut plurimùm intelligi de infante, aut de pubere contrahente de immobilibus; sed esto loquantur de pubere contrahente de aliis, quàm de immobilibus, solvuntur ex dictis. Undè

Ad 1. R. Id, quod solvit pupillus, dicitur non esse accipientis, non quod non possit tuta conscientia illud retinere, sed quia potest repeti a pupillo, undè non est firmitèr accipientis, seu, ut alii dicunt, non est civilitèr accipientis, quia leges hanc dominii translationem non probant; est tamèn naturalitèr. Ad 2. Pupillus comparatur prodigo, & furioso quantùm ad aliquid, nempè quantùm ad jus repetendi solutum, non tamèn quantùm ad omnia; quod maximè indè patet, quòd fidejussor prodigi, aut furiosi non obligetur; obligatur verò fidejussor pupilli, ex quo probavimus suprà pupillum obligari naturalitèr non prodigum, aut furiosum. Ad 3. R. Pupillum, qui accipit mutuo pecuniam, non obligari Jure naturæ efficacitèr, seu quoad omnes effectus obligationis naturalis, obligari tamèn Jure naturæ inefficacitèr, seu quoad primum effectum obligationis naturalis, ut dictum est. Ad 4. N. sequelam antecedentis: leges enim possunt absquè injustitia ob commune bonum impedire quosdam effectus obligationis naturalis, ut explicatum est: sic v. gr. qui vendidit plùs justo pretio, tenetur obligatione naturali ergà emptorem, & tamèn leges denegant emptori actionem, nisi læsus fuerit ultra medium justi pretii. Ne-



mo autèm nescit, contractus cum pupillis esse infirmos, undè sibi, & non legibus imputent, qui cum illis contrahunt.

Ex dictis inferes 1 Creditorem posse tuta conscientia accipere & retinere, quod ipsi vi contractûs in casu conclusionis initi solvit, aut donat pupillus, donèc ab illo repetatur ex beneficio legis civilis hanc repetitionem concedentis; quia naturalitèr debetur, & quod naturalitèr debetur justè accipitur & retinetur; beneficium autèm legis non prodest ei, qui eo non utitur, sive quia non vult uti, sive quia ignorat; sicque patet, hanc obligationem naturalem non esse fictitiam, & inutilem ex hoc, quòd possit elidi, ut quidam dicunt, siquidèm creditori verum jus conferat accipiendi & retinendi, quod ipsi sine acceptione legis solvitur. Attamèn & hoc inferes 2. Non tenetur pupillus, aut minorennis solvere, quod contractu promisit; quia, si solvat, potest utendo exceptione legis repetere, non quidèm restitutionem in integrum, ut videtur opinari Perfector Tourneli, & dicam infra, sed conditionem indebiti: *Qui autèm ad agendum admittitur, est multò magis ad excipiendum admittendus.* Reg. Juris 71. in 6. Quid enim opus est inani circulo, inquit Layman, ut solvat quis, quòd ipsi restituendum erit. Inferes 3. cum laudato Auctore, quòd, si pupillus, aut minorennes, eorumve nomine tutor, aut curator sic solutum repetant condictione indebiti, sed per contradictionem alterius, Judicisve negligentiam, aut injustitiam recuperare non valent, compensatione uti non prohibeantur. Et hoc sensu intelligendum est, quod docent plures Theologi, lucrantem a minore summam notabilem teneri ad restitutionem. Secùs esset, si contractus foret omninò validus & firmus, puta, initus de consensu tutoris, ità quòd ad recuperationem non sufficeret conditio indebiti, sed opus foret restitutione in integrum, de quo infrà; quamdiù restitutio in integrum a Judice non conceditur, (nec sempèr conceditur) contractus omni Jure subsistit, proindèque injuria fieret alteri, si res, quam habet, aut jus suum ei auferretur.

### *Circà Uxores.*

1. UXor potest contrahere de bonis paraphernalibus; quia horum proprietatem & administrationem habet de Jure communi. Non potest de bonis communibus & dotalibus: quia illorum administratio est penès Maritum. Excipe certos casus, de quibus Diss. 11. Art. 8. Vide

2. Uxor ex Senatusconsulto Velleiano prohibetur fidejubere.

3. Uxor, quam Maritus patitur vacare speciali commercio, potest quoad ea, quæ illud commercium spectant, independentèr a Marito contrahere. Quòd si idem commercium exerceat cum Marito, eam non posse de iis, quæ spectant illud commercium disponere, docet Perfector Tourneli; quia, inquit ex Ferriere, *tùnc non tam est Mercatrix, quàm Institrix.* Verùm id gratis dictum nobis videtur: neque enim tùnc Uxor, stipendio ducta, neque alieno lucro laborat, ut faciunt institores; sed propriis stipendiis pro communi utilitate cum viro operatur, ut faciunt mercatores socii. Quapropèr existimo, quòd Uxor in hoc casu possit, saltem de consensu interpretativo mariti, contrahere de his, quæ spectant istud commune commercium; hoc ipso enim quo vir eam sibi associat in negotiatione censetur consentire, ut de his, quæ spectant negotiationem, contrahat, sicùt dixi suprà de filio, cui Pater permittit negotiari: idque conformitèr consuetudini Patriæ Leodiensis c. 5. a. 4. ubi legitur: *Tutefois en cas de marchandise, si elle est marchande, elle peut etre convenue, & oblige son Mari.*

4. Uxor separata a viro quoad bonorum communionem habet jus administrandi ea, quæ ipsi cedunt, non tamèn alienandi vivente marito. L. 9. cap. *De Jure dot.*

## APPENDIX.

### *De restitutione in integrum.*

REstitutio in integrum est *prioris juris redintegratio, & in pristinum ætatum repositio, Judicis auctoritate facta.*

Dico 1. Hoc beneficium conceditur minorennibus, qui nondùm viginti quinque annos compleverunt, dùm notabilitèr læsi sunt, sive per contractum validum de consensu tutoris, aut quasi contractu, sive per Sententiam, sive per præscriptionem. Toto tit. ff. *De minoribus.* Quia, inquit, Lex prima ibidèm: *fragile est atque infirmum hujusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum.*

*tum*. De restitutione in integrum contrà præscriptionem quædam jam dicta sunt in calce Diss. 4. de Jure. Dixi 1. *Dùm notabilitèr læsi sunt* ; quatenùs nimirùm, aut ab aliis circumventi decipiuntur, aut ipsimet defectu, vel judicii, vel experientiæ propria facilitate seipsos decipiunt, & indè notabiliter læduntur; alioquin, si prundentèr, secundùm quòd recta ratio postulat, agant, & proùt vir prudens, & sapiens ageret, quamvis damnum incurrant, non est locus restitutioni in integrum: v. gr. minorennis auctore curatore ex causa rationabili, & justo pretio vendit: occurrit alter, qui plus offert, prudentèr contraxit, & damnum istud est per accidens: nec ob illud conceditur restitutio in integrum. Dico iterùm: *notabilitèr læsi*; quia leve damnum in jure pro nullo reputatur. Dixi 2. *per contractum validum*; quia si contractus sit, vel nullus, vel rescindibilis ad nutum damnum passi, aut per simplicem Sententiam Judicis, v. gr. si pupillus, aut minorennis sine consensu tutoris, vel curatoris contrahit, non datur restitutio in integrum, sed sola conditione indebiti damnum reparatur, ut jam dictum est: ratio est, quia restitutio in integrum est remedium Juris extraordinarium, quod non adhibetur, nisi cùm damnum communi auxilio resarciri non potest L. *In causæ* 2. ff. *de minoribus*. Dixi 3. *vel quasi contractum*, puta, quia etiàm consentiente tutore, vel curatore acceptavit damnosam hæreditatem, vel lucrosam recusavit. Intellige tamèn re integra manente; nàm, si alter qui acceptavit hæreditatem damnosam, eam melioravit, aut acceptatam lucrosam casus incidentes deterioraverunt, non censetur læsus ex quasi contractu, nec uti potest beneficio restitutionis in integrum.

Excipiendi sunt tamèn quidam casus, in quibus non conceditur restitutio in integrum pupillis, aut minoribus, læsis per contractum. 1. Si pubes contractum juramento firmaverat, Authent. *Sacramenta* C. *Si adversùs vendit*. Dico *pubes*; quia juramentum impuberis non est firmum. 2. Si major factus contractum ratum habuit L. 1. C. *Si major factus*. 3. Si judicis requisita auctoritate veniam ætatis impetraverit, & tamquàm major reputetur L. 1. C. *de iis, qui ven. ætat*. Insupèr contrahentes cum minoribus possunt adhùc adhibere aliam cautelam, ut suæ indemnitati prospiciant, si nempè adsit fidejussor, qui pro ipsis minoribus spondeat: obtentà enim restitutione in integrum, remanet obligatus fidejussor L. *Si ea* C. *de fidejuss. min*. l. 2. tit. 23. & L. *Postquàm* 1. C. eod. tit.

Hoc autèm privilegio restitutionis in integrum gaudent ii, qui ut minorennes aliena voluntate reguntur, ut sunt Ecclesiæ, & loca pia, respublica, communitas, universitas studiosorum, etiàm Principes quoad alienationem bonorum Principatûs. Ità ex variis locis Juris. Interdùm etiàm conceditur rudibus, ut rusticis & mulieribus, qui ignorant Jura.

Dico 2. Hoc privilegium durat pro minorennibus quatuor annis integris pòst completum annum vigesimum quintum, hoc est, usquè ad annum vigesimum nonum completum L. ult. C. *de temp. in integr*. Pro Ecclesiis autèm, & aliis assignatis durat quatuor annis integris a contractu inito. Cap. 1. *de restit. in integr*. in 6. l. 2. tit. 21. Hoc quadriennio elapso, non conceditur ampliùs hoc beneficium, nisi minorennes militiam exerceant, vel reipublicæ causa absint, aut aliquo legitimo impedimento detenti fuerint. Similitèr pro Ecclesiis, & aliis nominatis etiàm aliquandò extenditur hoc privilegium ultrà quadriennium, nimirùm quandò læsio est enormis, aut ignorantia inculpata aliudve legitimum impedimentum obstitit, quominùs intrà quadriennium restitutio peteretur. Hæc de Jure communi, at de Jure particulari Gallorum conceduntur 10. anni minoribus pòst completum 25. ætatis annum, & aliis etiàm decem anni pòst contractum initum. Ità editum Ludovici XII. 1510. & Francisci I. 1539. Porrò istud beneficium non nisi a Principe, vel Judice causa cognita, & læsione probata conceditur: undè, cùm non semper concedatur, nec nisi concessum valeat, nullus auctoritate propria illo uti potest, nec a fortiori vi illius compensationem facere, ut jam observavimus art. præced.

Petes, utrùm in restitutione in integrum etiàm sint refundendi fructus percepti, v. gr. Pupillus consentiente tutore tibi donavit, aut vendidit prædium, ex quo per plures annos fructus percepisti: Pupillus posteà obtinet restitutionem in integrum, qua compelleris illi restituere suum prædium: Quæritur, àn tenearis etiàm restituere fructus, quos percepisti? R. Si titulo gratuito, puta donatione, hoc prædium obtinuisti, teneris ad restitutionem fructuum, deductis tamèn expensis; quia pupillus fuit læsus, non solùm in alienatione fundi, sed etiàm fructuum. Si justo pretio prædium obtinuisti, probabile est te non teneri ad restitutionem fructuum; quia in his pupillus non censetur læsus, eo quòd ex pretio accepto potuit lucrum facere. Insupèr, quandò justum pretium solvitur, eatenùs pupillus censetur læsus, quatenùs expediebat illi rem non vendi non autèm ratione fructuum percipiendorum, quia hi computantur in æstimatione justi pretii: ergo in restitutione non potest reperiri nisi res ipsa, & non fructus ejus. De hac materia plura, quæ spectant forum exterius, vide, si lubet, apùd Jurisperitos.

## ARTICULUS VI.

### *Utrùm contractus invalidus accessione Juramenti valeat & firmetur?*

NOta 1. Juramentum potest duplicitèr contractui adjici. 1. Si jures te donare, promittere, te vendere, &c. Et hoc juramentum est simplicitèr assertorium; neque contractum magis confirmat, aut irrevocabilem facit, quàm si non esset appositum; quia nullam pòst se obligationem relinquit, sed tota extinguitur cum actu, de quo juratur: sic enim jurando ad nihil aliud obligaris, quàm ad sincerè donandum, promittendum, &c. 2. Si jures te contractum sempèr servaturum, te nunquàm revocaturum, &c. & de hoc juramento quæritur, utrùm firmet contractum, aliundè nullum? Nota 2. Aliud est Juramentum esse validum, aliud contractum ex juramento valere & firmari. Juramentum dicitur validum, quandò servari debet ex virtute Religionis proptèr reverentiam divini Numinis, quamvis ex eo nullum jus acquiratur ei, in cujus favorem juratur. Dicitur firmare contractum, quandò illùm in sua specie validum facit, ità ut ei, in cujus favorem juratur, acquiratur jus, & obligationi Religionis superaddatur obligatio justitiæ.

Duo itaquè hìc discutienda sunt. 1. Utrùm, & quandò juramentum, contractui invalido appositum, sit validum & servari debeat? 2. Utrùm, & quandò contractum aliundè invalidum firmet? 1. Difficultas propriè spectat tractatum de Religione: ubi de juramento: nihilominùs brevitèr

Dico 1. Juramentum contractui invalido appositum est validum, & servari debet, si absquè peccato jurantis servari possit. Et id ob reverentiam divini Numinis, ne scilicèt testis falsi adducatur. Est verò invalidum, nec servari debet, si sine peccato jurantis servari non possit; quia juramentum, ut dicitur in Jure, non est vinculum iniquitatis, nec obligat contrà bonos mores: imò foret implicantia, quòd quis obligaretur ob id, a quo abstinere tenetur.

Hinc inferes 1. Juramentum appositum contractibus, quos Jus positivum irritat, principalitèr in favorem jurantis, esse validum & servandum; quia quilibet potest renuntiare privato suo commodo, seu favori per legem concesso, & consequentèr sine peccato juramentum suum servare. Et ideò juramentum de solvendis usuris, aut pecuniis ludo perditis, est validum. Itèm juramentum appositum alienationi fundi dotalis, donationi intèr conjuges, promissioni non revocandi testamentum, alienationi bonorum immobilium factæ per minorennem sine consensu curatoris, renuntiationi paternæ hæreditatis factæ a filio, seu filia nuptui tradenda, fidejussioni mulieris, & similibus; hæc, inquam, juramenta sunt valida & servanda; quia hi omnes contractus videntur irritari a Jure positivo principalitèr, & primariò in favorem jurantis, quamvis etiàm motivum boni communis secundariò, & minùs principalitèr interveniat. Ità censent communitèr Theologi & Jurisconsulti. Excipe, nisi lex, non solùm contractum, sed etiàm juramentum irritet: sic irritat renuntiationem, etiàm juratam, Novitii antè professionem, nisi fiat sub certis conditionibus; Trid. sess. 25. c. 16. *De regular*. Itèm Matrimonium metu contractum, etiàm juratum. C. *Significavit* Extra. *De eo quì duxit* l. 4. tit. 7.

Si petas, utrùm id etiàm verum sit de juramento, cui error, dolus, aut metus causam dedit? R. Si dolus, aut error versetur circà substantiam rei, aut circà accidentia notabilia, quæ redundant in substantiam rei moralitèr consideratam, ut explicuimus suprà, juramentum est nullum, nec de necessitate servandum; quia deest consensus substantialis. Si autèm error versetur circà accidentia leviora, quæ non redundant in substantiam rei, aut si juramentum præstetur ex metu, (*Q*. 89. *a*. 7. *ad* 3.) validum est, & necessariò observandum; quia adest consensus substantialis, & simplicitèr voluntarius: injuria verò, licèt tollat obligationem ergà vexantem, non tollit tamèn ergà Deum, qui injuriam non infert. Undè, si metu mortis ju-



jures te daturum latroni summam pecuniæ, teneris dare non vi promissionis, sed vi juramenti. Hujusmodi tamèn juramenta non sunt ità firma, quin facilè possint relaxari; quia adferunt secum causam dispensationis, nimirùm ipsam vim injustè illatam.

Si dicas: ergo, si injusto mortis metu jurem ducere Bertham, quantumvis mihi disparem, & ingratam, teneor vi juramenti illam ducere, quod videtur inconveniens. R. N. Sequelam; quia nemo obligatur ad actum invalidum, qualis foret contractus matrimonialis, de quo in instantia, utpotè metu injusto contractus: nàm metus esset causa juramenti, & juramentum, seu metus juramenti violandi esse causa Matrimonii: ergo metus mortis esset causa Matrimonii: quod enim est causa causæ, est causa causati, ut fert commune axioma. Adde, quòd tale Matrimonium non solùm foret invalidum, sed etiàm illicitum, ut dicam modò.

Inferes 2. E contrà juramentum, appositum contractui Jure naturæ invalido, & illicito, esse nullum, nec indigere relaxatione, ut si promissioni furandi, fornicandi, &c. adjicias juramentum. Itèm nullum est juramentum, quod apponitur contractui, Jure positivo irrito primariò, & principalitèr proptèr bonum commune; quia, quod est contrà bonum commune, est contrà bonos mores, & consequentèr peccatum: undè juramentum Clerici, quo renuntiat foro suo, & promittit, se comparituram coràm Judice sæculari, est nullum; quia tale privilegium non est in privatum hujus particularis favorem collatum, sed in commune bonum totius ordinis Ecclesiastici. Itèm nec valet juramentum metu extortum, appositum contractui matrimoniali, aut sponsalitio; quia hujusmodi contractus prohibentur, & irritantur a Jure primariò, & principalitèr ob bonum commune, quatenùs ex illis oriuntur odia, pugnæ, lites, scandala, quibus perturbatur Respublica. Ab aliis exemplis proponendis supersedeo; quia difficile est in praxi discernere, quos alios contractus Jus positivum irritet principalitèr proptèr bonum commune, neque in eis assignandis conveniunt Juris Interpretes, imò quidam id negant de sponsalibus. Quapropter in dubio petatur juramenti relaxatio.

Secunda difficultas, utrùm contractus irritus juramento valeat, & firmetur, resolvenda est sub eadem fermè distinctione: undè dico 2. Contractus Jure naturæ irriti, & illiciti pro certo non firmantur juramento; quia, ut jam dictum est, juramentum non est vinculum iniquitatis. Itèm non firmantur juramento contractus, qui sunt rescindibiles proptèr injuriam, aut turpitudinem exigentis, aut acceptantis juramentum; quia Jura in odium, & pœnam hujusmodi injuriæ, ac turpitudinis talium contractuum firmitati resistunt, quales sunt contractus vi, vel dolo initi, Authent. *Sacramenta* C. *Si adversùs vendit*. l. 2. tit. 28. Promissio solvendi usuras, juxtà Layman, Pontas, & alios, idem dic de similibus. Potest tamèn in his juramentum obligare, si sine peccato jurantis possit servari, ut dictum est. Itèm juramento non firmantur contractus, quos Jus positivum prohibet, ac irritat principalitèr proptèr bonum commune; quia, ut jam dixi, eos observare esset agere contrà bonum commune, & consequentèr peccare.

Dico 3. Contractus, qui indicunt naturalem obligationem, sed irritantur a Jure positivo principalitèr in favorem contrahentis, ejus juramento firmantur. Quia, cùm executio hujusmodi contractûs non sit illicita; non enim, ut suppono, ut talis prohibetur a Jure, sed dumtaxàt in contrahentis privatum commodum, sui cedere potest, ut dictum est; juramentum de illa præstanda jurantem obligat, & per hoc sibi aufert omnia Juris remedia, quibus prior obligatio naturalis poterat elidi, sicque firma manet, & irrevocabilis in utroque foro.

Hinc inferes, omnes contractus pupillorum, y minorennium, quos articulo præced. concl. 4. diximus obligare naturalitèr, & alios similes, juramento firmari. Excipe eos, qui sunt rescindibiles proptèr injuriam, aut turpitudinem exigentis, aut acceptantis juramentum, de quibus conclusione præcedente; quia, ut dictum est, Jura eorum firmitati resistunt, in odium, & pœnam criminis.

Quantùm verò ad eos contractus, qui sic irritantur a Jure positivo principalitèr ob bonum privatum contrahentium, ut nec etiàm naturalem obligationem inducant, quales sunt secundùm communem opinionem contractus minorennium de alienatione immobilium, contractus prodigorum, & fortè ii omnes, quos recensui consectario 1. primæ conclusionis hujus articuli, res est magis perplexa.

Quibusdam videtur, eos non firmari juramento; tùm quia juramentum neque est contractus, neque facit contractum; cùm etiàm quia, ubi nulla est obligatio, non habet locum confirmatio illius. Ad Jura verò, quæ statuunt hujusmodi contractus esse servandos, ut L. 1. & 2. C. *Si contrà vendit*. l. 3. tit. 28. & alibi, respondent Jura non decernere, àn sint servandi ex virtute justitiæ, quòd forent validi, àn non potiùs ex virtute Religionis ratione juramenti. Aliis tamèn videtur, hos contractus etiàm firmari juramento, non hoc sensu, quòd anteà validi, sed debiles firmentur, sicùt de præcedentibus dictum est; sed hoc sensu, quòd, cùm sine juramento nullatenùs fuissent validi, eo adhibito valeant, & inducant obligationem justitiæ. Et hoc, non vi, & natura juramenti præcisè, quasi juramentum foret contractus, aut faceret contractum, sed quia jurans se contractum numquàm revocaturum cedit favori sibi per Legem concesso, quod potest, ut dictum est. Hac autèm cessione posita, perindè est, ac si non esset ampliùs Jus hunc contractum irritans, proindèque juramentum superveniens afficit contractum secundùm se, præciso Jure positivo: hujusmodi verò contractus secundùm se, præciso Jure positivo, inducit obligationem naturalem, quam consequentèr firmat juramentum, obligationem Religionis superaddens. Et sic solutæ manent rationes prioris Sententiæ.

Cæterùm, quidquid sit de istis rationibus, hæc secunda Sententia non solùm est communior intèr Auctores, sed videtur esse praxis omnium Tribunalium, tàm Civilium, quàm Ecclesiasticorum, in quibus communitèr dicitur juramentum supplere defectum ætatis, ità quòd minorennis contrahens sub juramento, etiàm de immobilibus, non permittatur recedere a contractu, sed compellatur ad ejus executionem, non secùs, ac majorennis. Undè quidam non aliundè probant hanc Sententiam, quàm ex dispositione Juris, seu ex hoc, quòd Jura locis citatis, & aliis sic statuerint; sic autèm statuisse, & intellexisse probant ex hoc, quòd Judices sic passim observent.

At inquies, quid interest, utrùm juramentum confirmet contractum, necne; quandoquidèm, qui juravit teneatur sempèr ex omnium consentu vi solius juramenti persolvere, quod promisit? R. Interest & quàm maximè. Quia, si juramentum non firmet contractum, jurans tenetur virtute religionis, non justitiæ, persolvere, quod promisit; ex quo sequitur 1. quòd obligatione religionis ablata per relaxationem juramenti ad nihil ampliùs teneatur. 2. Quòd ejus obligatio non transeat ad hæredes. 3. Quòd possit repetere quod solvit, & alter teneatur reddere, v. gr. Jurasti solvere usuras usurario, aut pecunias latroni, teneris vi juramenti solvere; at potes repetere solutum, & usurarius, aut latro tenetur reddere; quia per juramentum, quod soli Deo obligat, usurarius, aut latro nullum jus acquisivit, nec ullo titulo solutum retinere potest, non titulo contractûs, quia est invalidus, non titulo donationis, quia, ut suppono, non solvitur hìc ex liberalitate. At verò, si juramentum confirmet contractum, jurans non solùm ex religione, sed etiàm ex justitia obligatur illi stare. Ex quo sequitur 1. quòd relaxata obligatione religionis per dispentationem juramenti adhùc teneatur stare promissis. 2. Quòd hæc ejus obligatio justitiæ transeat ad hæredes. 3. Quòd non possit repetere solutum, nec alter teneatur reddere; quia jus, & titulum acquisivit vi contractûs validi, quod jus ideo transit ad ejus hæredes. Sit casus in minorenne contrahente sub juramento de suis immobilibus.

## ARTICULUS VII.

### *De Contractibus qualificatis.*

PRætèr varias Contractûs divisiones, quas initio hujus Dissertationis recensuimus, potest iterùm dividi in purum, & non purum. Purus est, cui nulla circumstantia, nullum accidens adjicitur, ut simplex donatio, simplex venditio. Non purus est, cui aliqua circumstantia, aliquod accidens adjicitur, & est quintuplex. 1. est *conditionalis*, quandò nempè adjicitur conditio suspensiva consensûs, ut promitto tibi 100. nummos, si palmam reputaveris: emo vinum, si sit vetus. 2. est *modalis*: modus autèm exprimitur per particulam *ut*, *pro*, *ea lege*, *ad*, *ne*, v. gr. do tibi 100. nummos, ut mihi monumentum ædifices, pro emendis libris, ne famulum expellas. 3. est *causalis*, quandò nempè adjicitur ratio, propèr quam fit contractus, ut lego tibi hoc prædium, quia es meus cognatus. 4. est *demonstrativus*, cùm apponitur signum rem, vel personam demonstrans, ut do, vel promitto pecunias in tali cista repositas, vel quas mihi debet Titius. 5. est *ad diem*, dùm fit aliqua restrictio quoad tempus futu-